Humilitas ficta malum intendit.

EST qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo: & eſt qui ſe nimium ſubmittit a multa humilitate: & eſt qui inclinat faciem ſuam, & fingit ſe non videre quod ignoratum eſt: & ſi ab imbecillitate virium vetetur peccare, ſi invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. *Eccli.* 19. 23

Humilitas Deo grata eſt.

DIxitque ei Angelus Domini: (*ad Agar*): Revertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. *Gen.* 16. 9

Juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit. *Pſal.* 33. 19

Ubi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: ubi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia. *Prov.* 11, 2

TITULUS XXXIX.

Suſpicio.

Suſpicio & judicium temerarium.

REſpondit Abraham: Cogitavi mecum dicens: Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto: & interficient me propter uxorem meam. *Gen.* 20. 11. *Simile accidit Iſaac* Cap. 26. 7

Suſpicatus eſt Laban, quod Jacob furatus ſit Deos ejus, & ob hanc cauſſam perſcrutatus eſt totam ſupellectilem. Ibid. 31. 32

Videns Jacob veſtimenta Joſeph ſanguine cruentata, putavit eum eſſe mortuum, & a fera peſſima devoratum. Ibid. 37. 33.

Dum uxor Putipharis pallium caſtiſſimi Joſeph Domino ſuo monſtraſſet, iſte nimis credulus verbis conjugis, valde iratus eſt. Ibid. 39. 19

Fratres Joſeph malam habuerunt ſuſpicionem erga Joſeph, conſcientia urgente: nam præcipiente Joſepho diſpenſatori ut introduceret ad comedendum ſecum, illi, exterriti, crediderunt quod vellet eos ſubjicere ſervituti. Ibid. 43. 18

Rubenitæ & Gaaditæ euntes ad poſſeſſiones ſuas, ædificaverunt altare trans Jordanem. Quo audito, filii Iſrael turbati fuerunt, neſcientes, quare hoc feciſſent illi, & putaverunt quod vellent ſe ab eorum lege penitus ſeparare. Joſue 22. 11

Cum iviſſet Samſon ad domum patris ſui, ſocer ejus putavit, quod odio haberet uxorem ſuam, & repudiaſſet eam, hinc tradidit eam alii viro. Judic. 15. 2

Heli videns Annam labia movere, & nullum verbum proferre, æſtimavit temulentam. 2. *Reg.* 1. 13

Miſit David nuntios ad regem Ammon, ut conſolarentur eum ſuper patris interitu, Principes autem illius putaverunt, quod veniſſent ad explorandam civitatem, non ad conſolandum regem. 2. *Reg.* 10. 3

Poſtquam rex Aſſuerus turbatus fuit contra Aman, qui jacebat ſuper lectum Eſther ad rogandum pro anima ſua, impoſuit ei rex, quod ipſo præſente, voluerit reginam opprimere. Eſther 7. 8

Jeremiam euntem ad terram Benjamin, comprehendit cuſtos portæ, tamquam profugum ad Chaldæos. Jerem. 37. 12

Sic nuntiante hoc Propheta voluntatem Domini populo, dixerunt ei: Mendacium tu loqueris: non miſit te Dominus — ſed Baruch filius Neriæ incitat te adverſum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum. *Ibid.* 43. 2

Tortores, qui Eleazarum ducebant ad ſupplicium, in iram verſi ſunt, propter ſermones ab eo dictos, quos illi arrogantes ſuſpicabantur. 2. *Mac.* 6. 28

Et videntes eum *diſcipuli Dominum* ſuper mare ambulantem — *putaverunt* phantaſma *eſſe*. Et præ timore clamaverunt. *Matt.* 14. 25

Simon Phariſæus, videns mulierem peccatricem ad pedes Domini flentem, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ, & qualis eſt mulier, &c. *Luc.* 7. 39

Videntes Judæi Apoſtolos Domini, poſt effuſionem Spiritus ſancti loquentes variis linguis, dicebant quidam eorum: quia muſto pleni ſunt. *Actor.* 2. 13

Omnes diſcipuli Chriſti timebant Saulum poſt converſionem ſuam, non credentes quod eſſet diſcipulus: *donec Barnabas rem Apoſtolis manifeſtaſſet. Ibid.* 9. 26

Lyſias Tribunus temere Paulum allocutus, ait ipſi: Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum. *Ibid.* 21. 38

Cum vidiſſent Barbari pendentem beſtiam de manu ejus (*Pauli*), ad invicem dicebant: Utique homicida eſt homo hic: *& æſtimabant eum in tumorem convertendum & ſubito caſurum & moriturum. Ibid.* 28. 4

Suſpiciones malæ ex pugnis & logomachiis proficiſcuntur. 1. *Tim.* 6. 4

TITULUS XL.

Suſurro.

Suſurrones damnantur.

NOn eris criminator, nec ſuſurro in populo. *Levit.* 19. 16

Cum defecerint ligna, extinguetur ignis; & ſuſurrone ſubtracto jurgia conquieſcent. *Prov.* 26. 20

Verba

Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt ad intima ventris. *Prov.* v. 22

Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut *fiant ſuſurrones, &c. Rom.* 1. 28

Cavete ne forte ſuſurrationes — ſint inter vos. 2. *Cor.* 12. 20

T

TITULUS I.

Temperantia.

Temperantia in cibo, & potu, & concubitu commendatur.

HI namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper hos. Tu autem — *interdum* continens eſto — *&* orationibus vacabis. *Tob.* 6. 17

Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus ejus: & rogavit eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur. *Dan.* 1. 8

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies illa. *Luc.* 21. 34

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus: non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & emulatione: ſed induimini Dominum Jeſu Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis. *Rom.* 13. 12

Non eſt enim regnum Dei, eſca, & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. *Ibid.* 14. 17

Fructus autem Spiritus eſt: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hujuſmodi non eſt lex. *Gal.* 5. 22

Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed implemini Spiritu ſancto. *Epheſ.* 5. 18

Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, &c. 2. *Pet.* 1. 5

Vigilemus, & ſobrii ſimus. 1. *Theſſ.* 5. 6

Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum: non litigioſum, non cupidum, &c. 1. *Tim.* 3. 2. *Idem verbatim* Tit. 1. 8

Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. 2. *Tim.* 1. 7

Senes, ut ſobrii ſint. *Tim.* 2. 2

Juvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint. *Tit.* 2. 6. Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie & juſte & pie vivamus in hoc ſæculo. v. 12

Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ ſobrii perfecte ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jeſu Chriſti. 1. *Pet.* 1. 13

Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. *Ibid.* 5. 8

Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam. *Eccli.* 37. 34

Anna vidua non diſcedebat de templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37

Nos autem qui Dei ſumus, ſobrii ſimus. 1. *Theſſ.* 5. 8

Juvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint. *Tit.* 2. 6

Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo. 1. *Cor.* 8. 13

TITULUS II.

Templum.

Templum ſpirituale, & domus Dei. Vide & Eccleſia.

IPſe (*David*) ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum. 2. *Reg.* 7. 13

Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. *Prov.* 9. 1

Et movebo omnes gentes, & veniet Deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria: dicit Dominus exercituum. *Aggai* 2. 8

Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. *Matth.* 7. 24

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Ibid.* 16. 18. Joan. 2. 19

Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? 1. *Cor.* 3. 16. *Idem c.* 6. 29

Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut

dicit

dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter vos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. *2. Cor. 6. 16.* Epheſ. 2. 20

Chriſtus vero tamquam filius in domo ſua: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem, firmam retineamus. *Hebr. 3. 6*

Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, &c. *1. Pet. 2. 5*

Templum Idolorum.

TUleruntque Philiſthiim arcam Dei, & intulerant eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon (*Dagon coram Arca ſemel atque iterum corruit, abſciſſis in limine capite & manibus.*) *1. Reg. 5. 2*

Tunc ædificavit Salomon Fanum, Chamos Idolo Moab in monte qui eſt contra Jeruſalem, & Moloch Idolo filiorum Ammon. *3. Reg. 11. 7.* 1. Reg. 31. 9

Sanctificate (*ait Jehu inſidioſe ut diſperderet cultores Baal*) diem ſollemnem Baal. Vocavitque, & miſit in univerſos terminos Iſrael, & venerunt cuncti ſervi Baal: non fuit reſiduus ne unus quidem qui non veniret. Et ingreſſi ſunt templum Baal: & repleta eſt domus Baal a ſummo uſque ad ſummum. *4. Reg. 10. 20*

Cumque adoraret (*Sennacherib*) in templo Neſroch deum ſuum, Adramelech, & Saraſar filii ejus percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram Armenorum, & regnavit Aſarhaddon filius ejus pro eo. *Ibid. 19. 37. c. 17. 32.* Iſa. 37. 38

Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, & aureorum, ſacerdotes quidem ipſorum fugient, & liberabuntur: ipſi vero ſicut trabes in medio comburentur. *Baruch 6. 54*

Et ſuccendet ignem in delubris deorum Ægypti, & comburet ea, & captivos ducet illos: & amicietur Terra Ægypti, ſicut amicitur paſtor pallio ſuo: & egredietur inde in pace. *Jerem. 43. 12*

Fraudes ſacerdotum Idoli Bel, qui appoſitos illi cibos occulte auferebant, regi per Danielem detectæ ſunt, ipſiſque interemptis idolum una cum templo ſuo ſubverſum eſt: Similiter & draconem quem colebant Babylonii injecta in os maſſa ex pice, adipe & pilis confecta, Daniel interfecit. Quapropter inſtantibus Babyloniis miſſus eſt in lacum leonum, &c. Dan. 14. 1. Mach. 1. 50. c. 6. 2

Et qui diſperſi ſunt per campum, fugierunt in Azotum, & intraverunt in Bethdagon, Idolum ſuum, ut ibi ſe liberarent. Et ſuccendit Jonathas Azotum, & civitates quæ erant in circuitu ejus, & accepit ſpolia eorum, & templum Dagon: & omnes, qui fugerunt in illud, ſuccendit igni. *1. Mach. 10. 83*

Non ſolum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, ſed & magnæ Dianæ templum (*Epheſi*) in nihilum reputabitur, ſed & deſtrui incipiet majeſtas ejus, quam tota Aſia, & orbis colit. *Hæc perſuadebat Demetrius argentarius faciens ædes argenteas Dianæ populo. Actor. 19. 27*

Templum, domus Dei, & domus orationis vocabitur.

UT aperias oculos tuos, (*mi Deus,*) ſuper domum iſtam diebus ac noctibus, ſuper locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum, & exaudires orationem, quam ſervus tuus orat in eo: & exaudias preces famuli tui, & populi tui Iſrael. Quicumque oraverit in loco iſto, exaudi de habitaculo tuo, id eſt de cælis, & propitiare. *2. Paralip. 6. 20.* Marc. 11. 17. Luc. 19. 46

Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. *Iſa. 56. 7*

Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. *Matth. 21. 13. Idem habetur* Luc. 19. 45

Chriſtus ipſe & omnes fideles frequenter in templo verſantur.

C*Ommendatur Tobias quia ibat* in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi orabat Dominum. *Tob. 1. 6*

Et egreſſus Jeſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationes templi. *Matth. 14. 1*

Et introivit Jeroſolymam in templum: & circumſpectis omnibus, cum jam veſpera eſſet hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. *Marc. 11. 11*

Et reſpondens Jeſus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum Filium eſſe David? *Ibid. 12. 35*

Et hæc vidua (*Anna*) uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens (*Deo*) nocte ac die. *Luc. 2. 37*

Et ingreſſus in templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum eſt: Quia Domus mea, domus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. *Ibid. 19. 45*

Quotidie quoque (*erant*) perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis. *Actor. 2. 46*

Pe-

Petrus autem & Joannes aſcendebant in templum, ad horam orationis nonam. *Act. 3. 1*

Angelus Domini dixit eis: Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. Qui cum audiſſent, intraverunt diluculo in templum, & docebant. Adveniens autem princeps ſacerdotum, & qui cum eo erant, convocaverunt concilium, & omnes ſeniores filiorum Iſrael: & miſerunt ad carcerem, ut adducerentur. *Ibid. 5. 20*

Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. *Ibid. 21. 26*

Factum eſt autem revertenti mihi in Jeruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, &c. *Ibid. 22. 17*

In templo oratur Deus, & exaudit.

REſpice ad orationem ſervi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum & orationem, quam ſervus tuus orat coram te hodie: ut ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte ac die: & ſuper domum, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſervus tuus. *3. Regum 8. 28. Idem habetur* 2. Paral. 6. 19

Dixitque Dominus ad eum (*Salomonem*) Exaudivi orationem tuam — quam deprecatus es coram me: ſanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum: erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. *Ibid. 9. 3*

Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. *Matth. 21. 13*

Templa manufacta non inhabitat Deus, quaſi iis concludi poſſit,
vel illis indigeat, ut homo ædibus.

ERgone putandum eſt, quod vere Deus habitet ſuper terram? ſi enim cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi? *ait Salomon. 3. Reg. 8. 27. Idem verbatim habetur* 2. Par. 6. 18

Hæc dicit Dominus: Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum: quæ eſt iſta Domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ? *Iſa. 66. 1*

Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus? *Jer. 23. 24*

Sed non Excelſus in manufactis habitat, ſicut Propheta dicit: cælum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. *Act. 7. 48. c. 17. 24*

Alioqui Deus in templis materialibus habitare dicitur.

ET habitabo in medio filiorum Iſrael, & non derelinquam populum meum Iſrael. *3. Regum 6. 13*

Tunc ait Salomon: Dominus dixit, ut habitaret in nebula. *Ibid. 8. 12*

Dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Iſrael populo ſuo, & habitationem Jeruſalem uſque in æternum. *1. Par. 23. 25*

Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus. *Pſ. 77. 60*

Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. *Ibid. 131. 13*

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra: & habitabo vobiſcum in loco iſto. *Jer. 7. 3.* Vide & v. 7

Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo. *Matt. 23. 20* Actor. 7. 46

Templum locus dicitur ſanctus.

A*it Jacob:* Vere Dominus eſt in loco iſto: & ego neſciebam: Pavenſque, Quam terribilis eſt, inquit, locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. *Gen. 28. 16*

At ille (*Dominus Moyſi ait*): Ne appropies, inquit, huc: ſolve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. *Exod. 3. 5*

Templum magnis muneribus dotatum.

O*Blatis plurimis donariis gloria Domini implevit templum, &c. 2. Par. 5*

Igitur cum ſancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime cuſtodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat ut & ipſi reges, & principes locum ſummo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent. *2. Mach. 3. 1*

Templi profanatores a Deo puniuntur.

H*Eliodorus volens ſpoliare templum, a Deo miraculoſe percutitur, ſed Oniæ precibus ac ſacrificio liberatur, &c. 2. Mach. 3. 25*

Et intravit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo: & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. *Matth. 21. 12*

Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit. *Joan. 2. 15*

T I-

TITULUS III.

Tempus.

Tempus fructuoſe expendendum.

OMnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cælo. *Eccleſ.* 3. 1
Omni negotio tempus eſt, & opportunitas, & multa hominis afflictio. *Ibid.* 8. 6
Fili, conſerva tempus, & devita a malo. *Eccli.* 4. 23
Ante mortem benefac amico tuo, & ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi. *Ib.* 14. 13
Non defraudreris a die bono, & particula boni doni non te prætereat. *Ibid.* v. 14
Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit ſpatium peccandi. *Ibid.* 15. 21
Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. *Epheſ.* 5. 15

Superſtitioſe non obſervandum.

FActo veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cælum: & mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum. *Matth.* 16. 2
Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *Act.* 1. 7

Temporis opportunitas in omnibus rebus obſervanda.

OMnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cælo. *Eccleſ.* 3. 1
Qui cuſtodit præceptum, non experietur quidquid mali. Tempus & reſponſionem cor ſapientis intelligit. *Ibid.* 8. 5
Eſt tacens non habens ſenſum loquelæ: & eſt tacens ſciens tempus aptum. *Eccli.* 20. 6
Qui timent Dominum, invenient judicium juſtum, & juſtitias quaſi lumen accendent. *Ib.* 32. 20
Sollicitudine non pigri: ſpiritu ferventes: Domino ſervientes. *Rom.* 12. 11

TITULUS IV.

Tenebræ.

Tenebræ trium dierum in Ægypto.

DIxit autem Dominus ad Moyſen. Extende manum tuam in cælum: & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti, tam denſæ ut palpari queant. *Exod.* 10. 21. *Vide reliqua* v. 22
Miſit tenebras, & obſcuravit: & non exacerbavit ſermones ſuos. *Pſ.* 104. 28. Sap. 17. 3. *repetitur idem* Exod. 10. *idem* Sap. 19. 16. *fere idem.*

In tenebris verſatur mundus & amat eas.

POſitum eſt ergo ſæculum in tenebris, & qui inhabitant in eo ſine lumine. 4. *Eſdr.* 14. 20.
Propter hoc elongatum eſt judicium a nobis, & non apprehendet nos juſtitia: expectavimus lucem, & ecce tenebræ, ſplendorem, & in tenebris ambulavimus. *Iſa.* 39. 9
Surge, illuminare Jeruſalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. *Ibid.* 60. 1
In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Joan.* 1. 4
Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera. *Ibid.* 3. 19
Iterum ergo locutus eſt eis Jeſus dicens: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. *Ibid.* 8. 12
Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat. *Ib.* 12. 35. Act. 26. 17
Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt. 1. *Theſſ.* 5. 7
Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 1. *Joan.* 2. 11

TITULUS V.

Tentatio.

Tentare Deum non licet.

ET dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulcra in Ægypto, ideo tuliſti nos ut moreremur in ſolitudine, quid hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex Ægypto? *Exod.* 14. 11
Qui (*populus Iſrael*) jurgatus contra Moyſen ait: Da nobis aquam ut bibamus. Quibus reſpondit Moyſes: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? *Ibid.* 17. 2
Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis. *Deut.* 6. 16. Matth. 22. 18. Act. 5. 9. c. 15. 10
Et qui eſtis vos qui tentatis Dominum? *Judith* 8. 11
Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. *Matth.* 4. 7
Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum (Num. 21. 5.) tentaverunt, & a ſerpentibus perierunt. 1. *Cor.* 10. 9

Tentat

Tentat, ſeu verius probat Deus ſuos variis modis.

F*Ides & obedientia Abrahæ in filii ſui præcepta immolatione probatur. Gen.* 22. *Vide tot. cap.*
At ille (*Moyſes*) clamavit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt; ibi conſtituit ei præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum. *Exod.* 15. 25
Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies: ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non? *Ibid.* 16. 4. Judith 8. 21. *uſque ad* 28
Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere: ut enim probaret vos, venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. *Ibid.* 20. 20. Deut. 8. 2
Non audies verba prophetæ illius, aut ſomniatoris: quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non, in toto corde, in tota anima veſtra. *Deut.* 13. 3. Judic. 2. 22. c. 3. 1
Dixit ergo Dominus ad ſatan: Ecce univerſa quæ habet, in manu tua ſunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egreſſuſque eſt ſatan a facie Domini. *Job* 1. 12
In paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. *Sap.* 3. 5
Omne quod tibi applicatum fuerit, accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. *Eccli.* 2. 4. c. 27. 18
Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos ſicut uritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. Ipſe invocabit nomen meum, &c. *Zach.* 13. 9
Sed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero ſpem, &c. *Rom.* 5. 3
Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reſervare cruciandos. 2. *Pet.* 2. 9
Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis: ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. *Jac.* 1. 2

Ad ſui probationem.

TEntavit Deus Abraham, &c. *Gen.* 22. 1
Nunc cognovi, quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Ibid.* v. 12
Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non. *Deut.* 13. 3
Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. *Sap.* 3. 5
Qui non eſt tentatus, quid ſcit? &c. *Eccli.* 34. 9

Meriti augmentationem.

S*Ic Deus permiſit tentari per ſatan Job ſervum ſuum. Job* 1. 12
Sic Tobias adverſitatibus tentatus fuit. Tob. 2
In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus. 1. *Pet.* 1. 6

Tentat Diabolus decipiendo per mendacium.

S*Ic Evam aggreſſus eſt. Gen.* 3. 4. *Vide totum.*
Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. *Matth.* 4. 9
Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? *Act.* 5. 3. 1. Par. 21

Affectum incendendo per deſiderium.

UNuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. *Jac.* 1. 14
Diabolus *miſit* in cor *Judæ* ut traderet *Dominum Jeſum Chriſtum. Joan.* 13. 2

Affectum inducendo per conſenſum.

FIli, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem. *Eccli.* 2. 1
Propterea & ego amplius non ſuſtinens, niſi ad cognoſcendam fidem veſtram; ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter. 1. *Theſſ.* 3. 5
Reſiſtite autem diabolo, & fugiet a vobis. *Jac.* 4. 7
Sobrii eſtote, & vigilate. 1. *Pet.* 5. 8

Tentant homines Creaturæ.

QUoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. *Sap.* 14. 11

Caro ſeu ſenſus & paſſiones. Vide & Concupiſcentia.

ET inimici hominis domeſtici ejus. *Mich.* 7. 6. *Idem* Matth. 10. 36
Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. *Jac.* 1. 14
Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? &c. *Ibid.* 4. 1

Tentari

Tentari non patitur Deus ſuos ſupra id quod poſſunt.

TEntatio vos non apprehendat niſi humana: fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere. *1. Cor.* 10. 13

Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reſervare cruciandos. *2. Pet.* 2. 9

Nihil horum timeas, quæ paſſurus es: Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam Vitæ. *Apoc.* 2. 10

T I T U L U S VI.

Teſtamentum.

Teſtamentum ordinandum.

DEditque Abraham cuncta quæ poſſederat, Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viveret. *Gen.* 25. 5

Finitiſque mandatis, quibus filios (*Jacob*) inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit. *Ibid.* 49. 32

Igitur cum Tobias putaret orationem ſuam exaudiri ut mori potuiſſet, vocavit ad ſe Tobiam filium ſuum, dixitque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtrue. *Tob.* 4. 1

Filio & mulieri, fratri & amico, non des poteſtatem ſuper te in vita tua: & non dederis alii poſſeſſionem tuam: ne forte pœniteat te, & depreceris pro illis. *Eccli.* 33. 20

In die conſummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui diſtribue hereditatem tuam. *Ibid.* v. 24

Rite obſervandum.

FRatres (ſecundum hominem dico) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. *Gal.* 3. 15

Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt. *Heb.* 9. 16

T I T U L U S VII.

Teſtimonium.

Teſtimonium verum commendatur.

HOmicida ſub teſtibus punietur: ad unius teſtimonium nullus condemnabitur. *Num.* 35. 30

Non ſtabit teſtis unus contra aliquem, quidquid illud peccati vel facinoris fuerit: ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum. *Deut.* 19. 15. Heb. 10. 28

Liberat animas teſtis fidelis: & profert mendacia verſipellis. *Prov.* 14. 25

Teſtis fidelis non mentitur: profert autem mendacium doloſus teſtis. *Ibid.* v. 5

Si autem (*frater tuus*) te non audierit; adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. *Matth.* 18. 16

Et in lege veſtra ſcriptum eſt, (*dixit Jeſus Judæis*) quia duorum hominum teſtimonium verum eſt; *Joan.* 8. 17. *idem* 2. Cor. 13. 1

Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. *1. Tim.* 5. 19

Teſtimonium falſum prohibetur. Vide & mendacium.

NOn loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. *Exod.* 20. 16. *idem* Deut. 5. 19

Non ſuſcipies vocem mendacii: nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falſum teſtimonium. *Ibid.* 23. 1

Cumque diligentiſſime perſcrutantes, invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium: reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui: &c. *Deut.* 19. 18

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. *Pſal.* 26. 12. & 34. 11

Proferentem mendacia, teſtem fallacem, *odit Deus*. *Prov.* 6. 19

Teſtis falſus non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet. *Ibid.* 19. 5. *Idem habetur ibidem* v. 9

Teſtis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam. *Ibid.* 21. 28. c. 25. 18

Ne ſis teſtis fruſtra contra proximum tuum: nec lactes quemquam labiis tuis. *Ibid.* 24. 18.

Caſtiſſimam Suſannam imprudentiſſimi presbyteri, cum ejus concubitu frui non poſſent, falſo adulterii accuſant, ſed cum ad mortem duceretur, orantem exaudivit Deus, & per puerum Danielem proprio ore convictos ſenes, jure talionis populus interimit. Dan. 13

Non falſum teſtimonium dices. *Matth.* 19. 18. *idem* Marc. 10. 19

Principes autem ſacerdotum, & omne conſilium, quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent: & non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent. *Ib.* 26. 59. cap. 28. 13

Teſti-

Teſtimonii falſi exempla.

DOeg primus inter ſervos Saul falſo loquitur adverſus regem David. 1. Reg. 22. 9

Sibi detrahit Miphiboſeth. 2. Reg. 16. 3

Falſorum teſtium criminationibus Naboth innocens lapidibus obruitur, ejuſque vinea a rege Achab, & impia Jezabel rapitur, ipſi autem teſtes falſi ignominioſe trucidantur. 3. Reg. 21. 13

Cuſtos portæ, nomine Jerias falſo accuſat & feriri facit Jeremiam Prophetam tamquam profugum. *Jerem.* 37. 12

Sic etiam ipſi Principes adverſum eumdem Prophetam falſo & mendaciter loquuntur. *Ibid.* 38. 4

Falſi teſtes innocentem Suſannam adulterii inſimulant: falſitatis autem convicti lapidibus obruuntur. *Dan.* 13. 34

Principes autem ſacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent: & non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent. *Matth.* c. 26. v. 59

Noviſſime autem venerunt duo falſi teſtes (*contra Jeſum*) & dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud --- Jeſus autem (*ad omnia*) tacebat. *Ibid.* v. 60

At illi (*milites*) accepta pecunia, *Chriſtum, quem a Morte reſurgentem ſuis oculis conſpexerunt, a diſcipulis clam ſublatum per urbem proclamarunt.* *Ibid.* 28. 15

Seniores & ſcribæ contra Stephanum falſos teſtes ſubmiſerunt, quorum calumniis blaſphemiæ convictum occiderunt. *Actor.* 6. 11

Sic etiam Paulus falſo accuſatus fuit coram Felice. *Ibid.* 24. 3

T I T U L U S VIII.

Theſaurus.

Theſaurus verus quis.

DIvitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus ejus. *Iſa.* 33. 6

Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. *Matt.* 6. 20. *Idem* Luc. 12. 33. *Vide tot. hoc cap.* Lucæ.

Omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo. *Lucæ* c. 18. v. 22

Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſapere in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. *1. Tim.* 6. 17

Theſaurus minus diligendus, magis diligitur.

NOli lætari Iſrael, noli exultare ſicut populi: quia fornicatus es a Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici. *Oſee* 9. 1

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: ubi ærugo & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur. *Matth.* 6. 19

Cum audiſſet autem adoleſcens (*cui Chriſtus dixerat*: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus) verbum; abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones. *Ibid.* 19. 22. *Item verbatim* Marc. 10. 22. *habetur*, *Item* Luc. 18. 23

Ideo dico vobis: Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini: Anima plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum. *Luc.* 12. 22

Dixit Jeſus: Amen, amen, dico vobis: quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. *Joan.* 6. 26

Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. *2. Cor.* 4. 18

T I T U L U S IX.

Timor.

Timendus eſt Deus, & ante oculos habendus.

D*Efectus timoris divini eſt cauſſa peccati, ideo dixit Abraham ad Abimelech*: Cogitavi mecum dicens: Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto: & interficient me. *Gen.* 20. 11

Dixitque (*Angelus*) ei (*Abrahamo*) Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum, & non peperciſti unigenito tuo filio propter me. *Ibid.* 22. 12

Nolite timere: ut enim probaret vos, venit Deus: & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. *Exod.* 20. 20

Cuſtodi igitur temetipſum, & animam tuam ſollicite: Ne obliviſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. *Deut.* 4. 9

Hæc ſunt præcepta Domini: ut timeas Dominum Deum tuum, & cuſtodias omnia mandata & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ,

ut

ut prolongentur dies tui. *Deut. 6. 2.* Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis. v. 13. *Vide idem* v. 24. & c. 10. 20. *verbatim.*

Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, &c. *Ibid.* 10. 12. Idem v. 20

Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem ejus: ipſi ſervietis, & ipſi adhærebitis. *Ibid.* 13. 4

Nunc ergo timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde atque veriſſimo: & auferte Deos, quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto, ac ſervite Domino. *Joſue* c. 24. v. 14. Judic. 6. 10

Homines quos miſit rex Babylonis ad habitandum Samariam, non timebant Dominum: & immiſit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 4. *Reg.* 17. 25

Sed Dominus Deus veſtrum, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna, & brachio extento, ipſum timete, & illum adorate, & ipſi immolate. *Ibid.* v. 36

Conſtituit Joſaphat judices in cunctis civitatibus Juda, præcipiens eis inter cetera: Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas. 2. *Par.* 19. 7

Noli timere, Fili mi — multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum. *Tob.* 4. 23

Numquid conſideraſti (*ait Dominus ad ſatan*) ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. *Job* 1. 8

Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere a malo, intelligentia. *Ibid.* 28 8

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? *Pſal.* 26. 1

Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. *Ibid.* 32. 8

Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. *Ibid.* 33. 8. Timete Dominum omnes ſancti ejus: quoniam non eſt inopia timentibus eum. v. 10

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. *Ibid.* 111. 1

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. *Ibid.* 127. 1

Timor Domini principium ſapientiæ. Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt. *Proverb.* 1. 7. Idem Eccli. 1. 16. Pſ. 110. 10

Ne ſis ſapiens apud temetipſum: time Deum, & recede a malo. *Ibid.* 3. 7

Principium ſapientiæ, timor Domini: & ſcientia ſanctorum, prudentia. *Ibid.* 9. 10

Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo, qui infami graditur via. *Ibidem* 14. 2. Timor Domini fons vitæ, ut declinet a ruina mortis. v. 27

Melius eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. *Ibid.* 15. 16

Miſericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur a malo. *Ib.* 16. 6

Finis modeſtiæ timor Domini, divitiæ, & gloria, & vita. *Ibid.* 22. 4

Time Dominum fili mi, & regem: & cum detractoribus ne commiſcearis. *Ibid.* 24. 21

Mulier timens Dominum, ipſa laudabitur. *Ibid.* 31. 30

Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. *Eccli.* 1. 11

Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam ejus: & non deflectatis ab illo, ne cadatis. *Ibid.* 2. 7. Quis enim permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt? aut quis invocavit eum, & deſpexit illum? v. 12. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conſervabunt viam illius. v. 18

In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica. *Ibid.* 7. 31

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: ſemen aut hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. *Ibid.* 10. 23

Gloria divitum, honoratorum, & pauperum, timor Dei eſt. *Ibid.* v. 25

Qui timet Deum, faciet bona: & qui continens eſt juſtitiæ, apprehendet illam, &c. *Ib.* 15. 1

Timor Domini initium dilectionis ejus: fidei autem initium agglutinandum eſt ei. *Ib.* 25. 16

Timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit a malis. *Ibid.* 33. 1

Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipſe eſt ſpes ejus. *Ib.* 34. 16

Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, & auxiliatus ſum tibi: & ſuſcepit te dextera juſti mei. *Iſa.* 41. 10

Noli timere (*Iſrael*) quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu. *Ibid.* 43. 1

Ego, ego ipſe conſolabor vos: quis tu ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet? *Ibid.* 51. 12

Quis non timebit, o rex Gentium? tuum eſt enim decus: inter cunctos ſapientes Gentium, & in univerſis regnis eorum nullus eſt ſimilis tui. *Jer.* 10. 7

Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus: & bene ſit eis, & filiis eorum poſt eos. *Ibid.* 32. 39

Quia propter hoc dediſti timorem tuum in cordibus noſtris, & ut invocemus nomen tuum, & lau-

& laudemus te in captivitate noſtra, quia convertimur ab iniquitate patrum noſtrorum, qui peccaverunt ante te. *Baruch.* 3. 7

Ecce judex Deus, timete eum. Deſinite a peccatis veſtris, & obliviſcamini iniquitates veſtras jam agere eas in ſempiterno, & Deus educet vos, & liberabit de omni tribulatione. 4. *Eſdr.* 16. 68

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. *Matt.* 10. 28. *Idem habetur* Luc. 12. 5

Occaſione Cornelii, Deum timentis, dixit Petrus: in omni gente, qui timet eum (*Deum*) & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. *Actor.* 10. 35

Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere ſed time. *Rom.* 11. 20

Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. *Phil.* 2. 12

In timore incolatus veſtri tempore converſamini. 1. *Pet.* 1. 17. Cap. 3. 2

Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. *Ibid.* 2. 17

Cum modeſtia & timore; conſcientiam *habete* bonam. *Ibid.* 3. 16. Judæ v. 23

Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus: & adorate eum qui fecit cælum & terram, mare, & fontes aquarum. *Apoc.* 14. 7

Timoris Dei fructus, utilitas, & laus.

Miſericordia autem Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. *Pſ.* 102. 17

Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum. *Ib.* 124. 1. *Vide totum* Pſalm. 117

Timor Domini apponet dies; & anni impiorum breviabuntur. *Prov.* 10. 27

Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. *Ibid.* 14. 27

Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur, abſque viſitatione peſſima. *Ibid.* 19. 23

Finis modeſtiæ timor Domini, divitiæ, & gloria, & vita. *Ib.* 22. 4

Homini prodeſt ipſum bene ordinando.

Nunc ergo timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde, atque veriſſimo. *Joſue* 24. 14

Servite Domino in timore. *Pſ.* 2. 11

Confige timore tuo carnes meas. *Ibid.* 118. 120

Fuerunt igitur Gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſervientes. 4. *Reg.* 17. 41

Time Deum, & recede a malo: ſanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum. *Prov.* 3. 7

Timor Domini odit malum. *Ibid.* 8. 13

Sapiens timet, & declinat a malo. *Ibid.* 14. 17

Per timorem autem Domini declinat omnis a malo. *Ibid.* 15. 27

Timor Domini diſciplina ſapientiæ. *Ibid.* v. 33

In timore Domini declinatur a malo. *Ibid.* 16. 6

Non æmuletur cor tuum peccatores: ſed in timore Domini eſto tota die: quia habebis ſpem in noviſſimo, & præſtolatio tua non auferetur. *Ibid.* 23. 17

Time Dominum fili mi, & regem. *Ibid.* 24. 21

Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus: qui vero mentis eſt duræ, corruet in malum. *Ibid.* 28. 14

Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccleſ.* 6. 19

Deum time, & mandata ejus obſerva. *Ibid.* 12. 13

Timor Domini expellit peccatum, nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. *Eccli.* 1. 27

Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra, &c. *Ibid.* 2. 8

Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius — Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei — Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt uſque ad inſpectionem illius. *Ibid.* v. 18

In tota anima tua time Dominum. *Ibid.* 7. 31

Qui timet Deum, faciet bona. *Ibid.* 15. 1

Qui timet Deum, convertetur ad cor ſuum. *Ibid.* 21. 7

Conſummatio timoris Dei, ſapientia, & ſenſus. *Ibid.* v. 13

Timor Dei initium dilectionis ejus: fidei autem initium agglutinandum eſt ei. *Ibid.* 25. 16

Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. *Iſa.* 29. 13

Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus: & bene ſit eis, & filiis eorum poſt eos. *Jere.* 32. 39

Plene remunerando.

Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. *Exod.* 15. 11

Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebi-

mus ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene. *Tob.* 4. 23

Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia; & recedere a malo, intelligentia. *Job.* 28. 28

Timete Dominum omnes ſancti ejus: quoniam non eſt inopia timentibus eum. *Pſal.* 33. 10

Dediſti hereditatem timentibus nomen tuum. *Ibid.* 60. 6

Beatus vir qui timet Dominum --- Potens in terra erit --- Gloria & divitiæ in domo ejus. *Ibid.* 111. 1

Voluntatem timentium ſe faciet, &c. *Ibid.* 144. 19

Timor Domini apponet dies. *Prov.* 10. 27

In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes. Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. *Ibid.* 14. 26

Timor Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur, abſque viſitatione peſſima. *Ib.* 19. 23

Finis modeſtiæ, timor Domini, divitiæ, & gloria, & vita. *Ibid.* 22. 4

Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis, &c. *Eccli.* 1. 11

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. *Ibid.* v. 13

Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum. *Ibid.* v. 20

Qui timetis Dominum, ſperate in illum: & in oblectationem veniet vobis miſericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra. *Ibid.* 2. 9

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum. *Ibid.* 10. 23

Oculi Domini ad timentes eum. *Eccli.* 15. 20

Et agnoſcent, qui derelicti ſunt, quoniam nihil melius eſt, quam timor Dei. *Ibid.* 23. 37

Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei. *Ibid.* 25. 15

Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit. *Ibid.* v. 14

Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus: & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. *Ibid.* 32. 18

Timenti Dominum non occurent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit a malis. *Ibid.* 33. 16

Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipſe eſt ſpes ejus. Timentis Dominum, beata eſt anima ejus --- Oculi Domini ſuper timentes eum. *Ibid.* 34. 26

Facultates & virtutes exaltans cor, & ſuper hæc timor Domini. Non eſt in timore Domini minoratio --- Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis, &c. *Ibid.* 40. 26

Salus erit timentibus nomen *Domini*. *Mich.* 6. 9

Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitiæ: & ſanitas in pennis ejus: & egrediemini, & ſalietis, ſicut vituli de armento. *Malach.* 4. 2

Et miſericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum. *Luc.* 1. 50

Timor humanus, vitioſus. Vide & formido, & Puſillanimitas.

QUi timent pruinam, irruet ſuper eos nix. *Job.* 6. 16

Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. *Pſalm.* 13. 5

Qui timet hominem, cito corruet. *Prov.* 29. 25

Sicut ornatus arenoſus in pariete lympido, & Sicut pali in excelſis, & cœmenta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt: ſic & cor tumidum in cogitatione ſtulti, contra impetum timoris non reſiſtet. *Eccli.* 22. 21. 1. Joan. 4. 18. Apoc. 21. 8

Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. *Matt.* 1. 20

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. *Ibid.* 10. 28

Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. *Luc.* 12. 4

Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? --- timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. 1. *Pet.* 3. 13

Contemptus ejus virtuoſus.

FIrmamentum eſt Dominus timentibus eum. *Pſ.* 24. 14

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? *Ibid.* 26. 1

In Deo ſperavi: non timebo quid faciat mihi caro. *Ibid.* 55. 5

Ne paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo. *Prov.* 3. 25

Servus meus es tu --- Ne timeas, quia ego tecum ſum. *Iſa.* 41. 9

Ne timeas, ego adjuvi te. *Ibid.* v. 13

Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. *Ibid.* 43. 1

Audite me, qui ſcitis juſtum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic devorabit eos tinea. *Ibid.* 51. 7

Quis tu ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quaſi fenum, ita areſcet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundavit terram. *Ibid.* v. 12

Ne

Ne timeas a facie eorum: quia tecum ego ſum, ut eruam te, dicit Dominus. *Jerem.* 1. 8

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8. 31

Timore punit Deus & terrore.

CUmque profecti eſſent (*Jacob cum omni domo ſua*) terror Dei invaſit omnes per circuitum civitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes. *Gen.* 35. 5

Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingrederis: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. *Exod.* 23. 27

Et qui de vobis remanſerint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium, terrebit eos ſonitus folii volantis; & ita fugient quaſi gladium: cadent, nullo perſequente. *Levit.* 26. 36

Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant ſub omni cælo: ut audito nomine tuo (*Iſrael*) paveant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur. *Deut.* 2. 25

Nullus ſtabit contra vos: terrorem veſtrum & formidinem dabit Dominus Deus veſter ſuper omnem terram, quam calcaturi eſtis, ſicut locutus eſt vobis. *Ibid.* 11. 25

Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum ſit ſuper te, & timebunt te (*Iſrael*) *Ibid.* 28. 10. In gentibus quoque illis non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui (*Iſrael*). Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore: & erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. v. 65

Novi, quod Dominus tradiderit vobis terram; etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. *Joſue* 2. 9

Et conturbavit eos Dominus (*ſcilicet quinque reges illos expugnantes Gabaon*) a facie Iſrael: contrivitque plaga magna in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Bethoron, & percuſſit uſque Azeca & Meceda. *Ibid.* 10. 10. Judic. 4. 5

Omnia itaque caſtra turbata ſunt, & vociferantes (*Madianitæ*) ululanteſque fugerunt (*ſcilicet a gladio Dei, & Gedeonis*) & nihilominus inſiſtebant trecenti viri buccinis perſonantes. *Judic.* 7. 21

Factum eſt autem cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſthiim iniere prælium contra Iſrael: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt a facie Iſrael. 1. *Reg.* 7. 10. *Vide ſimile* 4. Reg. 7. 6

Et percuſſerunt (*Aſa cum ſuis*) civitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror invaſerat (*Æthiopes*): & diripuerunt urbes, & multam prædam aſportaverunt. 2. *Par.* 14. 14. *Vide &* Cap. 17. 10

Irruit autem pavor Domini ſuper univerſa regna terrarum, cum audiſſent, quod pugnaſſet Dominus contra inimicos Iſrael (*ſcilicet Ammonitas, Moabitas, & Syrios.*) *Ibid.* 20. 29

Exurge Domine, non conſortetur homo: judicentur gentes in conſpectu tuo. *Pſal.* 9. 20

Et pavere faciam Ælam coram inimicis ſuis, & in conſpectu quærentium animam eorum: & adducam ſuper eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus: & mittam poſt eos gladium, donec conſumam eos. *Jere.* 49. 37. Judith. 14. 14

Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audiſſet, fugit mens & conſilium ab eis, & ſolo tremore, & metu agitati, fugæ præſidium ſumunt. *Judith.* 15. 1

Heliodorus (*a rege Antiocho miſſus, ut theſauros templi raperet*) autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco, ipſe cum ſatellitibus circa ærarium præſens. Sed ſpiritus omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis evidentiam, ita ut omnes, qui auſi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in diſſolutionem & formidinem converterentur, &c. 2. *Mac.* 3. 23

Timoris Dei exempla.

DIxit *Deus ad Abraham*: nunc cognovi, quod times Deum: & non pepercisti unigenito Filio tuo propter me. *Gen.* 22. 12

Timuerunt autem obſtetrices Deum (*quibus præceperat Pharao omnes maſculos interficere in Iſrael, & feminas reſervare*) & non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, ſed conſervabant mares --- *& Deus* ædificavit eis domos. *Exod.* 1. 17

Et viderunt (*filii Iſrael tranſeuntes mare rubrum*) Ægyptios mortuos ſuper litus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus. *Ibid.* 14. 31

Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluvias in illa die, Et timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem. 1. *Reg.* 12. 18

Abdias autem (*diſpenſator domus Achab*) timebat Dominum valde. Nam cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abſcondit eos -- & pavit. 3. *Reg.* 18. 3

Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. 2. *Par.* 19. 7

Sed Tobias plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occiſorum, & occultabat

in

in domo ſua, & mediis noctibus ſepeliebat ea. *Tob.* 2. 9. Nam cum ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei. v. 13

Virum autem cum timore tuo (*Domine Deus*) non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere. *Ibid.* 3. 18

Cumque omnes dixiſſent, Amen, acceſſerunt ad convivium: ſed & cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant. *Ibid.* 9. 12

Et erat hæc (*Judith*) in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. *Judith.* 8. 8

Dixitque Dominus ad ſatan: Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex --- & recedens a malo? *Job.* 1. 8. *Idem* Cap. 2. 3

Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui. *Ibid.* 31. 23

Et timuerunt viri (*Ninivitæ*) timore magno Dominum, & immolaverunt hoſtias Domino, & voverunt vota. *Jona* 1. 16

Fallax gratia, & vana eſt pulcritudo, mulier timens Dominum, ipſa laudabitur. *Prov.* 31. 30

Sed, cum plagis perimeretur (*Eleazarus*) ingemuit, & dixit: Domine, qui habes ſanctam ſcientiam; manifeſte tu ſcis, quia cum a morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores; ſecundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. 2. *Mac.* 6. 30

Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & ſpiritus Sanctus erat in eo. *Luc.* 2. 25

Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum, *a Judæis lapidatum. Actor.* 8. 2

Poſt converſionem Pauli ſcriptum eſt: Eccleſia --- ædificabatur, ambulans in timore Domini, & conſolatione Sancti Spiritus replebatur. *Ibid.* 9. 31

Vir autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius, &c. religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi. *Ibid.* 10. 1. In veritate comperi (*inquit Petrus*) quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. v. 34

Timor & ſolicitudo non repugnet fidei & ſpei.

SErvite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. *Pſal.* 2. 11

Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curioſe intelligerem: ſunt juſti atque ſapientes: & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrum amore an odio dignus ſit. *Eccleſ.* 9. 1

De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum. *Eccli.* 5. 5

Bene: propter incredulitatem facti ſunt. Tu autem fide ſtas; noli altum ſapere, ſed time. *Rom.* 11. 20

Ego igitur ſic curro: non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. 26

Itaque, qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. *Ibid.* 10. 12. Hebr. 3. 14

Itaque, Cariſſimi mei (ſicut ſemper obediſtis) non ut in præſentia mei tantum, ſed multo magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. *Phil.* 1. 12. Cap. 3. 11

Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis in vobis deeſſe, &c. *Hebr.* 4. 2. Petr. 3. 17

Timent & reverentur bonos etiam mali.

D*Ixit Abimelech ad Abraham*: Deus tecum eſt in univerſis quæ agis. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, *Gen.* 21. 22. *Vide* Cap. 20. 8

Ægyptii, perſequentes filios Iſrael, qui ibant per medium mare, dixerunt: Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. *Exod.* 14. 25

Et timuit Saul David, eo quod Dominus eſſet cum eo, & a ſe receſſiſſet. 1. *Reg.* 18. 12. *Vide &* v. 28

Princeps, quinquagenarius, qui tertio venit ad Eliam, inquit ad illum: Ecce deſcendit ignis de cælo, & devoravit duos principes quinquagenarios primos; & quinquagenos qui cum eis erant: ſed nunc obſecro, ut miſerearis animæ meæ. 4. *Reg.* 1. 14

Factum eſt ergo cum audiſſent omnes inimici noſtri (*quod completus eſſet murus Jeruſalem*) ut timerent univerſæ gentes, quæ erant in circuitu noſtro, & conciderent intra ſemetipſos, & ſcirent quod a Deo factum eſſet opus hoc. 2. *Eſdr.* 6. 16

Et cecidit timor Judæ, ac fratrum ejus: & formido ſuper omnes gentes in circuitu eorum. Et pervenit ad regem nomen ejus. 1. *Mac.* 3. 25

Et audierunt adverſarii (*principes Demetrii*) quod paratus eſt Jonathas cum ſuis in bello: & timuerunt, & formidaverant in corde ſuo: & accenderunt focos in caſtris ſuis. *Ibid.* 12. 28

Poſtquam Lyſias fuit debellatus a Juda Machabæo, voluit pacem facere cum eo, intelligens invictos eſſe Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, &c. 2. *Mach.* 11. 13

Herodes autem metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum: & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. *Marc.* 6. 20

Poſt terribilem mortem Ananiæ & Sapphiræ, Et erant unanimiter omnes (*diſcipuli*) in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat ſe conjungere illis: ſed magnificabat eos populus. *Actor.* 5. 13

Cuſtos carceris, e quo Paulus eſt liberatus, primo ſe volens interficere, videns apertas januas, clamanti Paulo procidit ad pedes, & ait: Domine, quid me oportet facere, ut ſalvus fiam? *Ib.* 16. 30

T I T U L U S X.

Traditio.

Vide & Antiqua via, & conſtitutiones.

Superiorum, item Doctrina Apoſtolorum.

Traditiones Eccleſiaſticæ, ſine ſcripto ab Apoſtolis acceptæ, ſervandæ nobis ſunt.

MEmento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi. *Deut.* 32. 7

David clare ſe traditionibus edoctum pronuntiabat, dum ait: Deus auribus noſtris audivimus: patres noſtri annuntiaverunt nobis. Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. *Pſalm.* 43. 1

Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam per quadraginta dies cum diſcipulis ſuis erat, loquens de regno Dei. Actor. 1. 3. *Conf.* Joan. 21. 25

Paulus vero electo Sila, profectus eſt, traditus gratiæ Dei a fratribus. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum *Ib.* 15. 40

Cum autem (*Paulus & Silas*) pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus; qui erant Jeroſolymis. *Ibid.* 16. 4. *Conf.* Rom. 15. 15

Laudat Paulus Corinthios, quod ea, quæ illis tradidiſſet, ſedulo tenerent, & concludit hoc caput: cetera autem cum venero, diſponam. 1. *Cor.* 11. 2

Itaque fratres ſtate; & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. 2. *Theſſ.* 2. 14

Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti in fide & dilectione Jeſu Chriſti. 2. *Timot.* 1. 13

Et quæ audiſti a me --- hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. *Ibid.* 2. 2. *Conf.* Cap. 3. 10

Tradiderunt Apoſtoli quædam viva voce.

SI quis eſurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cetera autem cum venero, diſponam. 1. *Cor.* 11, 34

Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, ut gaudium veſtrum plenum ſit. 2. *Joan.* 1. 12. *Idem epiſtola* 3. 13. *habetur.*

Tranſubſtantiatio. Vide Miſſæ Sacrificium, item Euchariſtia.

T I T U L U S XI.

Tribulatio, Vide & Crux & Afflictio.

Tribulatio & ejus Utilitas.

J*Oſeph plus crevit in exilio, in terra paupertatis, quam in terra nativitatis ſuæ creviſſet. Gen.* 41. 40

Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum precaretur nos, & non audivimus: idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio. *Ib.* 42. 21

Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant. *Exod.* 1. 12

Iſraelitæ afflicti a ſerpentibus ignitis, pœnitentiam agunt. Num. 21. 6

Et omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur. *Ibid.* 31. 23

Toto tempore principatus Joſue, quando filii Iſrael graviſſima prælia habuerunt, non leguntur a Domino receſſiſſe, ſed cito poſt, quando in abundantia & quiete fuerunt. Joſue 1. *&c. Conf. Librum Judicum & invenies.*

Audierunt Filii Iſrael, quod Philiſthiim ſint congregati, ut venirent contra eos, & timentes dixerunt ad Samuel: Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum. 1. *Reg.* 7. 8

Et convenerunt ad eum (*David*) omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo: & factus eſt eorum princeps. *Ibid.* 22. 2

Fugiens David a facie Abſalon, patiens fuit in ferendis Semei ſervi ſui conviciis: ſed obtenta victoria ſuperbivit, quando juſſit populum numerari. 2. Reg. 16. 10. Cap. 24. 1

Pane tribulationis, & aqua anguſtiæ *juſſus eſt propheta Michæas ſuſtentari in carcere, quia noluit Achab reſpondere juxta voluntatem.* 3. *Reg.* 22. 27

Voluit Dominus ut viri affligerentur a rege Ægypti; ut ſcirent differentiam ſervitutis divinæ & humanæ. 2. *Par.* 12. 8

Tempore anguſtiæ ſuæ auxit (*Achaz*) contemptum in Dominum. *Ibid.* 28. 22

Poſtquam (*Manaſſes*) coanguſtatus eſt; oravit Dominum Deum ſuum *cum eſſet vinctus in Babylone*, & egit pœnitentiam valde coram Domino --- & exaudivit (*Dominus*) orationem ejus. *Ibid.* 33. 12

Et in tempore tribulationis ſuæ clamaverunt ad te, & tu de cælo audiſti, & ſecundum miſerationes tuas multas dediſti eis ſalvatores. 2. *Eſdr.* 9. 27

Permittente Deo, poſt bona opera Tobias fuit excæcatus, & deinde deriſus eſt ab illis, qui eum debuiſſent conſolari, ſed poſtea Dominus multipliciter conſolatus eſt eum. Tob. 2. 11. *Vide totam hiſtor. ſic & Job conſ.* Cap. 1. *per totum, &c. &c.* 42. 12

Cumque requieviſſent, reverſi ſunt, ut facerent malum in conſpectu *Domini*. 2. *Eſdr.* 9. 28

Et in tempore tribulationis ſuæ clamaverunt ad *Dominum*. *ibid. v.* 27

Benedictum eſt nomen tuum, Deus patrum noſtrorum: qui cum iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. *Tob.* 3. 13

Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit (*Domine*), quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur. *Ibid. v.* 21

Poſt tempeſtatem, tranquillum facis: & poſt lacrimationem, & fletum, exultationem infundis. *Ibid. v.* 22

Quoniam tu (*Domine*) flagellas & ſalvas: deducis ad inferos, & reducis. *Ibid.* 13. 2

Ipſe caſtigavit nos, propter iniquitates noſtras: & ipſe ſalvabit nos, propter miſericordiam ſuam. *Ibid. v.* 5

In tuo flagello vindica iniquitates noſtras. *Judith.* 7. 20

De populo ſuo loquens Judith, dixit: Memores eſſe debent, quomodo Abraham pater noſter tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. *Ibid.* 8. 22

Et nos ergo non ulciſcamur nos pro his, quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe, flagella Domini, quibus quaſi ſervi corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eveniſſe credamus. *Ibid.* 8. 26

Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus? *Job.* 2. 10

Homo naſcitur ad laborem: & avis ad volatum. *Ibid.* 5. 7

Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus ejus ſanabunt. *Ibid. v.* 17

In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum. *Ibid. v.* 19

Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. *Ibid.* 6. 4

Auferat a me virgam ſuam, & pavor ejus non me terreat. *Ibid.* 9. 34

Utinam intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. *Ibidem* 11. 6

Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. *Ibid.* 21. 9

Ipſe --- probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. *Ibid.* 23. 10

Conſumpta eſt caro ejus a ſuppliciis: revertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ. *Ibid.* 33. 25

Peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi. *Ibid. v.* 27

Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus. *Pſ.* 2. 12

In tribulatione dilataſti mihi. *Ibid.* 4. 2

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum; poſtea acceleraverunt. *Ibid.* 15. 4

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. *Ibid.* 16. 3

Et diſciplina tua correxit me in finem. *Ibid.* 17. 36

Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. *Ibid.* 22. 4

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me. *Ibid.* 31. 7

Juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſalvabit. *Ibid.* 33. 19

Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. *Ibid. v.* 20

Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. *Ibid.* 49. 15

Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro. *Ibid.* 65. 11

Tranſivimus per ignem & aquam; & eduxiſti nos in refrigerium. *Ibid. v.* 13

Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine. *Ibid.* 82. 17

Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. *Ibid.* 90. 15

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. *Ibid.* 93. 19

Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas. *Ibid.* 118. 71

Diſciplinam Domini fili mi ne abjicias: nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quaſi pater in filio complacet ſibi. *Prov.* 3. 11

Sicut igne probatur argentum, & aurum in camino: ita corda probat Dominus. *Ibid.* 17. 3

Quod de carcere, cateniſque interdum egredietur quis ad regnum: & alius natus in regno,

inopia conſumatur, &c. *Eccleſ.* 4. *verſ.* 14

Curatio faciet ceſſare peccata maxima. *Ibid.* 10. 4

In paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. *Sap.* 3. 5

Hos quidem tamquam pater monens probaſti: illos autem tamquam durus rex interrogans condemnaſti. *Ibid.* 11. 11

Cum enim audirent per ſua tormenta bene ſecum agi, commemorati ſunt Dominum, admirantes in finem exitus. *Ibid. v.* 14

Cum ergo das nobis diſciplinam, inimicos noſtros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus, &c. *Ibid.* 12. 22

Ad correptionem in brevi turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis ad commemorationem mandati legis tuæ. *Ibid.* 16. 6

Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles, in camino humiliationis. *Eccli.* 2. 4

Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata. *Ibid. v.* 13

Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis. *Ibid.* 27. 6

Infirmitas gravis ſobriam facit animam. *Ibid.* 31. 2

Specioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi nubes pluviæ in tempore ſiccitatis. *Ibid.* 35. 26

Et excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum. *Iſa.* 1. 25

Cum feceris judicia tua in terra, juſtitiam diſcent habitatores orbis. Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam. *Ibid.* 26. 9

Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis, &c. *Ib. v.* 16

Vexatio intellectum dabit auditui. *Ibid.* 28. 19

A voce enim Domini pavebit Aſſur virga percuſſus. Et erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum, &c. *Ibid.* 30. 31

Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. *Jerem.* 6. 29

Ecce ego conflabo, & probabo eos. *Ibid.* 9. 7

Quia ecce in civitate, in qua invocatum eſt nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quaſi innocentes & immunes eritis. *Ibid.* 25. 29

Caſtigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius. *Ibid.* 30. 11

Caſtigaſti me (*Domine*) & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus. *Ibid.* 31. 18

Caſtigabo te in judicio, nec quaſi innocenti parcam tibi. *Ibid.* 46. 28

Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent: & tu quaſi innocens relinqueris? non eris innocens, ſed bibens bibes. *Ibid.* 49. 12

Anima in anguſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te: Audi Domine & miſerere. *Baruch.* 3. 1

Omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, ſcoria argenti facti ſunt. *Ezech.* 22. 18

Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. *Ib.* 24. 12

Nabuchodonoſor in proſperitate fuit arrogans & ſuperbus, ideo ejectus ab hominibus, & in beſtiam mutatus eſt: recuperavit autem ſenſum, quem amiſerat in honore elatus, & laudavit Altiſſimum, quem blaſphemaverat prius. Dan. 4. 31

Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi. *Ibid.* 12. 10

Suſanna in condemnatione mortis poſita, nec habens recurſum ad humanum auxilium, flens reſpexit ad cælum, ſicut avis in terra ab hominibus & canibus circumcincta, non habet refugium, niſi elevet ſe in altum. Ibid. 13. 42

Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inveniet. *Oſee* 2. 6

In tribulatione ſua mane conſurgent ad me: Venite, & revertamur ad Dominum: quia ipſe cepit, & ſanabit nos: percutiet, & curabit nos, &c. *Ibid.* 6. 1

In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis; & ero eis, quaſi exaltans jugum ſub maxillas eorum: & declinavi ad eum, ut veſceretur. *Ibid.* 11. 4

Cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum. *Jona* 2. 8

Dominus in tempeſtate, & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus. *Nahum* 1. 3

Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & ſciens ſperantes in ſe. Et in diluvio prætereunte, conſummationem faciet loci ejus: &c. *Ibid. v.* 7

Non conſurget duplex tribulatio. *Ibid. v.* 9

Afflixi te, & non affligam te ultra. *Ibid. v.* 12

Uram eos, ſicut uritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum, &c. *Zach.* 13. 9

Percuſſi vos vento urente, & aerugine, & grandine, omnia opera manuum veſtrarum:

& non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. *Aggei* 2. 18

Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, &c. *Malach.* 3. 2

Joſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodivit mandatum, & factus eſt Dominus Ægypti. 1. *Mac.* 2. 53

Etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficii eſt indicium: Non enim, ſicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii dies venerit, in plenitudine peccatorum puniat; ita & in nobis ſtatuit, ut peccatis noſtris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. 2. *Mach.* 6. 13

Corripiens vero in adverſis, populum ſuum non derelinquit. *Ibid. v.* 16

Eleazarus glorioſiſſimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad ſupplicium. *Ibid. v.* 19

Patienter ſuſtinens, deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. *Ibid. v.* 20

Nam, & ſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis neque vivus, neque defunctus effugiam. *Ibid. v.* 26

Tu ſcis (*Domine*) quia, cum a morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. *Ibid. v.* 30

Tu quidem ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis: ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus, *ad æternam vitam denuo* ſuſcitabit. *Ibid.* 7. 9

E cælo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero. *Ibid. v.* 11

Nos enim propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum, & digna admiratione facta ſunt in nobis: tu autem ne exiſtimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. *Ibid. v.* 18

Dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem, ut in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam (*Verba matris*). *Ibid. v.* 29

Nam fratres mei, modico nunc dolore ſuſtentato — æternæ vitæ effecti ſunt (*participes*.) *Ibid. v.* 36

Hinc igitur cœpit (*Antiochus*) ex gravi ſuperbia deductus, ad agnitionem ſui venire, divina admonitus plaga. *Ibid.* 9. 11

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. *Matth.* 5. 10

Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. *Ibid. v.* 39

Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. *Ibid.* 10. 39

Ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis: *Luc.* 15. 17

Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. *Matth.* 24. 9

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? *Luc.* 24. 26

Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. *Joan.* 9. 3

Omnem palmitem --- qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. *Ibid.* 15. 2

Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. *Ib.* 16. 2

Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. *Ibid. v.* 20

Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. *Ibid. v.* 21

Apoſtoli præcepto magiſtratuum flagellati, ibant gaudentes --- quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. *Actor.* 5. 41

Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti. 1. *Theſ.* 1. 6

Joſeph vendiderunt in Ægyptum, & erat Deus cum eo: & eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus; *& glorificavit eum, &c. Actor.* 7. 9

Sed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quia tribulatio patientiam operatur. *Rom.* 5. 3

Heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur. *Ibid.* 8. 17

Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Ibid. v.* 18

Quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Ibid. v.* 21

Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc. *Ibid. v.* 22

Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? *Ibid. v.* 35

Certus ſum enim, quia neque mors, --- neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei. *Ibid. v.* 38

In

In tribulatione patientes. *Rom.* 12, 12

Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. 1. *Cor.* 4. 11

Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus. *Ibid. v.* 12

Benedictus Deus --- qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. 2. *Cor.* 1. 3

Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. *Ibid v.* 5

Sicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. *Ibid. v.* 7

In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem Jeſu Chriſti in corpore circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. *Ibid.* 4. 8. 2. Cor. 6. 4

Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Ibid. v.* 17

Repletum ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. *Ibid.* 7. 4

In multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipſorum fuit, &c. *Ibid.* 8. 2

Suſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. *Ibid.* 11. 20

In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. *Ibid. v.* 23

In labore, & ærumna, in vigiliis multis — in frigore, & nuditate. *Ibid. v.* 27

Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. *Ibid.* 12. 9

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto: &c. *Ibid. v.* 10

Sed quomodo tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc. *Galat.* 4. 29

Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini. *Philip.* 1. 29

Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt eccleſia. *Coloſ.* 1. 24

Ita ut & nos ipſi in vobis gloriamur in Eccleſiis Dei, pro patientia veſtra & fide, & omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis — ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini, &c. 2. *Theſſ.* 1. 4

Nam ſi commortui ſumus, & convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11

Et omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. *Ibid.* 3. 12

Videmus Jeſum, propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum. *Hebr.* 2. 9

Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam, &c. *Ibid.* 5. 8

Alii vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, &c. *Ibid.* 11. 36

Egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. *Ibid. v.* 37

Omnis autem diſciplina, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. *Ibid.* 12. 11

Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filii eſtis. *Ibid. v.* 8

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Actor.* 14. 21

Quoniam vincula & tribulationes Jeroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quam me, dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi a Domino Jeſu. *Ibid.* 20. 23

Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Jeſu. *Ibid.* 21. 13

Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis: ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, &c. *Jacob.* 1. *verſ.* 2

Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. *Ibid. v.* 12

In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus: ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem & gloriam, & honorem in revelatione Jeſu Chriſti. 1. *Petr.* 1. 6

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. *Ibid.* 2. 21

Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. *Ibid.* 3. 14

Melius eſt enim benefacientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes. *Ib. v.* 17

Chri-

Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. 1. *Petr.* 4. 1

Sed communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. *Ibid.* v. 13

Quoniam tempus eſt ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? *Ibid.* v. 17

In Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque. *Ibid.* 5. 10

Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reſervare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9

Ego Joannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto Jeſu. *Apoc.* 1. 9

Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna. *Ibid.* 7. 14

Et non dilexerunt animas ſuas, uſque ad mortem. *Ibid.* 12. 11

Tributum. Vide Exactio.

T I T U L U S XII.

Trinitas.

Trinitas figurata & declarata.

FAciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra *Gen.* 1. 26

Cumque (*Abraham*) elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adoravit in terram. *Ibid.* 18. 2

Et ait (*Deus*) Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum. *Exod.* 3. 6. v. 15. & 16. Cap. 4. 5. *idem repetitur.*

Audi Iſrael, Dominus, Deus noſter: Dominus unus eſt. *Deut.* 6. 4

Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Pſal.* 32. 6

Et clamabant alter ad alterum (*duo Cherubin*) & dicebant: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus. *Iſa.* 6. 4

Requirite diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quaſivit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, & ſpiritus ejus ipſe congregavit ea. *Ibid.* 34. 16

Accedite ad me, & audite hoc: non a principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus. *Ibid.* 48. 16

Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem. *Ibid.* 61. 1. *Idem repetitur verbatim* Luc. 4. 18

Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. *Matt.* 3. 16

Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Ib.* 10. 20

Ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus -- ipſum audite. *Ibid.* 17. 5

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, &c. *Ibid.* 28. 19

Pater diligit filium: & omnia dedit in manu ejus -- qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam. *Joan.* 3. 35

Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum. *Ibid.* 14. 16. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. v. 20

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. *Ibid.* 15. 26

Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Caritas Dei, & communicatio Sancti Spiritus. 2. *Cor.* 13. 13

Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt. 1. *Joan.* 5. 7

Tripudiare. Vide choreas ducere, item Saltatio.

T I T U L U S XIII.

Triſtitia.

Triſtari immoderate propter temporalia minime laudandum.

MŒror in corde viri humiliabit illum, & ſermone bono lætificabitur. *Prov.* 12. 25

Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur ſpiritus. *Ib.* 15. 13. 1. Mach. 6. 8

Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. *Ibid.* 17. 22

Sicut

Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno: ita triſtitia viri nocet cordi. *Prov.* 25. 20

Omnis plaga triſtitia cordis eſt. *Eccli.* 25. 17

Triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo *Ibid.* 30. 22. Triſtitiam longe repelle a te. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa. v. 24

A triſtitia enim feſtinat mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit cervicem. *Ibid.* 38. 19

Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7. 10

Triſtitiæ exempla.

DIxitque Rebecca ad Iſaac: Tædet me vitæ meæ, propter filias Heth; ſi acceperit Jacob uxorem de ſtirpe hujus terræ, nolo vivere: *Gen.* 27. 46. *Conf. ſupra.* Cap. 26. 35

Jacob Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore *Ibid.* 37. 34. *conf.* 43. 6

Viderunt ambo Paſtor & Pincerna ſomnium, & inde facti ſunt valde triſtes. Ibid. 40. 7

Contriſtatus eſt enim (*Jonathas*) ſuper David, eo quod confudiſſet eum pater ſuus, *& non comedit panem.* 1. *Reg.* 20. 34. *Vide idem de David ſuper Oza.* 2. Reg. 6. 8. 2. Reg. 13. 21

Audiens Eſdras Judæos matrimonia contraxiſſe cum gentibus, ſcidit pallium & tunicam, & evellit capitis & barbæ capillos, & ſedit mœrens. Eſdr. 9. 3. *conf.* 2. Eſdr. 2. 2. *Vide etiam idem* 3. Eſdr. 8. 72. *idem narratur de Jobo ib. c.* 1. 20

Cœpit autem contriſtari nimis ipſe (*Tobias*) & Anna uxor ejus cum eo: & cœperunt ambo ſimul flere: eo quod die ſtatuto minime reverteretur filius eorum ad eos: Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrimis, atque dicebat: &c. *&* nullo modo conſolari poterat, &c. *Tob.* 10. 3. *Vide totum contextum.*

Luctus Mardochæi ac reliquorum Judæorum ob paratum ipſis interitum. Eſther. 4. 1

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar, *inquit David, Pſal.* 37. 7. *conf.* Pſalm. 41. 6. Pſalm. 54. 3

Super contritione filiæ populi mei contritus ſum, & contriſtatus; ſtupor obtinuit me. *Jer.* 8. 21. Dan. 6. 14. 2. Mach. 4. 37. Matth. 14. 9. cap. 18. 31. cap. 19. 22. Joan. 21. 17

Diſcipuli in ſuprema cœna valde contriſtati erant, ob verbum Domini de proditore ſuo. Matt. 26. 23. *item poſt obitum Chriſti* cap. 16. 22

Cœpit (*Chriſtus*) contriſtari & mœſtus eſſe. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. *Ibid.* v. 37

Quoniam triſtitia mihi magna eſt, *inquit Paulus, Rom.* 9. 2. *conf.* 2. Corinth. 2. 2. *item* Phil. 2. 27

T I T U L U S XIV.

Tuba.

Tuba clangent angeli in conſummatione ſæculi.

ET mittet (*Deus*) angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos a quatuor ventis, a ſummis cælorum, uſque ad terminos eorum. *Matt.* 24. 31

In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur. 1. *Cor.* 15. 52

Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, &c. 1. *Theſſ.* 4. 15

T I T U L U S XV.

Tyrannus.

Tyrannorum nequitia, & crudelitas.

V*Arias adinvenit Pharao nequitias, ut poſſit extinguere, vel ad numerum parvum redigere filios Iſrael: in primis eos duris laboribus juſſit affligi: Deinde maſculos occidi, & in fluvium projici, fœminas vero reſervari: primo ſimpliciter dixit Pharao.* Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam: *deinde conceſſit quidem, ſed falſo dicens: ite, ſacrificate Domino in terra hac. Exod. a Capite* 1. *uſque ad* 10. *Poſtea dimittere eos voluit, ut ſacrificarent Domino in deſerto, verumtamen ne longius abirent: poſtmodum ut irent quidem viri, oves tamen & armenta dimitterent: ſed nota præcipue, quod poſtquam intellexerit Pharao, filios Iſrael velle ſacrificare Domino Deo ſuo, durius afflixerit eos.* cap. 1. 14. *&* v. 16. *conf.* c. 5. 6. *&c.*

Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant — ciborum reliquias *ſub menſa Adonibezec, ſed ſicut fecit, ita reddidit ei Deus, Judic.* 1. 7

Abimelech filius Gedeonis, uſurpato dominio ſuper populo, occidit fratres ſuos Filios Jerobaal ſeptuaginta viros, ſuper lapidem unum. *Ibid.* 9. 5

Virum Dei, arguentem Jeroboam pro altari ſacrilego, quod conſtruxerat, præcepit ipſe Jeroboam comprehendi. 3. *Reg.* 13. 4. *vide ſimile* cap. 16. 7

Jezabel fecit Eliam ad mortem quæri, quia Prophetas Baal fecit occidi. Ibid. 19. 2

Naboth lapidatus fuit, procurante Jezabel quæ fecit falſos teſtes contra illum produci. Ibid. 21. 10

Achab rex Iſrael fecit poni Michæam Prophetam in carcerem, & ſuſtentari pane tribulationis, & aqua anguſtiæ. *Ibid.* 22, 26

Manaſ-